

REGVLAE

REGTORIS
COLLEGI

G
C
H. M. P. 1744



VENETIIS. M D LXXX.

Cur. facultatis S. S. Theol.



REGVLAE RECTORIS.

De ijs, quæ ad eius personam, & totius Collegij administrationem pertinent. Cap. I.



QUNI studio enitatur, ut talis sit, P. 4. c. 10
qualis optatur in nostris Constitutionibus, §. 4. & 5.
primamque officij sui curam
in eo positam esse intelligat, ut oratione,
& sanctis desiderijs totum Collegium uelut
humeris suis sustineat.

2 Communes regulas ipse seruet, & singularitatem in cibo, indumentis, & aliarum rerum usu, quantum fieri potest uitet, & familiaritate, atque indulgentia cum quibusdam, alios non offendat.

3 Infra annum postquam officium Rectoris inierit, quadraginta diebus Christianam doctrinam eo modo, quo in secunda Congregatione expositum est, P. 4. c. 10
legat, aut doceat; sed ex causa per alium id munus §. 10. &
cum facultate Provincialis obire poterit. Can. 42. tr. congr.

4 Consuetudines receptas, & a Generali, uel Provinciali approbatas seruet, ac seruari faciat: Si tamen aliqua alia à precedenti Rectore inducitur.

A rit

rit, non mutet inconsulto Prouinciali: ipse uerò, nisi suo Superiore approbante, nullam introducat.

- P. 4. c. 10. §. 5. & 6. 5 Eos, qui domestica obeunt ministeria (exceptis quibusdam, quorum electio ad Prouincialem pertinet) prudenter constituat, suas cuique regulas tradat, aliquando uisitet, & prout in Domino conuenire indicabit, uel in eisdem ministerijs detineat, uel ab
- a Ibidem eis remoueat. ^a Quia uerò officia quaedam, ut bene lit. F. fiant, experientiam requirunt, qui ad ea idonei inueniuntur, non facile mutari debebunt.
- P. 4. c. 10. §. 6. 6 Ut prospicere officialibus de subsidio, si necessarium id fuerit, ne labore grauentur debebit, ita cum tempus uacuum illis fuerit, ut illud utiliter impendant diuino seruitio curabit.
- Par. 3. c. 1. §. 11. 7 Etsi potestatem habet designandi confessorijs suis subditis, ordinarium tamen confessorium Collegij non constituet sine approbatione Prouincialis.
- P. 6. c. 5. 8 Quamuis in uirtute obedientiae iubere potest, nõ nisi rarissime, & ex graui ac uigenti causa id faciat.
- 9 Ordinarias tantum pœnitentias imponat, quales sunt parua mensa, publica reprehensio, conclusio in circulo, edere sub mensa, osculari aliorum pedes, orare in refectorio, dicere culpam suam, subtractio cibi paulatim usque ad panem, & aquam, si res postulauerit, disciplina publica in refectorio, & alia exercitia humilia, & domestica.
- P. 4. c. 10. lit. B. & P. g. c. 3. d. 8. 10 Sicut ad Rectorem pertinet dispensare in Regulis, & Constitutionibus, & Decretis Congregatio-

gationum generalium cum particularibus, quando necesse erit; sic & cum dispensauerit in rebus maioris momenti, quæ uidentur urgere, & in quibus sine graui incommodo Prouincialis responsum exspectari non potest, eum primo quoque tempore de huiusmodi dispensatione, ac eius causa admonere.

II Nomina eorum, qui uota solemnia, uel simplicia emiserunt, in libro ad hoc parato notentur; in Professis quidem, & Coadiutoribus formatis cum nominibus admittentium; in reliquis uero post biennium cum nominibus celebrantium, adnotato loco, & tempore, iuxta Constitutiones.

Par. 5. c. 3.
& 4.

12 Quas habeat facultates, partim ex ijs, quæ ipsi in his regulis conceduntur, partim ex compendio facultatum Societatis intelligat, ut in ijs, quas non habet, sciat ad Superiorem recurrere.

Deijs, quæ Rectorem ad bonam administrationem iuuabunt. Cap. II.

13 **S**it sollicitus, ne Minister, & reliqui officiales suo desint officio, omissis alijs, quæ possent impedire.

14 Singulis saltem hebdomadis cum suis consultoribus conueniat, deque rebus maioris momenti, quæ pro temporum, & negotiorum uarietate occurrunt, cum illis agat, quamquam ijs auditis penes ipsum erit de singulis statuendi facultas.

P. 4. c. 10.
S. 7. & p.
2. c. 6. S. 14

15 Consultores, aliosque omnes, cum ei aliquid

A 2 propo-

proponunt, libenter, ac benigne excipiat, & præcipue^b eum, cui monitoris officium commissum est, efficiatque ut in suo Collegio quæ in formula scribendi præscribuntur, accurate seruentur.

b P. 9. cap.
4. §. 4.

16 Institutum Societatis cognoscat ex lectione literarum Apostolicarum, Constitutionum, & Decretorum generalium Congregationum: magis autem particularia ex lectione Regularum tam communium, quam officij sui, & aliorum, qui sub ipsius cura sunt, ac Prouincialis, & compendij facultatum Societatis, atque ex obseruatione consuetudinum receptarum, ac demum ex recurso ad Superiorem in ijs, de quibus dubitabit.

17 Libellum habeat, in quem referat quæcumque sibi ad bonum Collegij statum subinde occurrerent, ne memoria excidant, præcipue illa, de quibus ad Generalem, uel Prouincialem scribendum

Par. 2. c. 3. putat.

§. 2. & p. 18 Pro occurrentibus necessitatibus communibus, & priuatis missas, & orationes suorum (moderate tamen) iuxta consuetudinem Societatis applicare poterit.

7. c. 2. & li.
M. & c. 4.
§. 3. & p. 10
It. B.

De cura nostrorum in spiritu. Cap. III.

P. 4. c. 10. §. 8. 19 **C**VRET, ut cuique in suo officio integram obedientiam Collegiales præsentent, & officiales Ministro, & sibi etiam omnes; studeatque eisdem exemplo obedientie præire, quam ipse suis Superioribus,

ribus, quos Christi loco habet, prestare debet.

20 Det operam, ut Constitutiones, & Regulae ob
seruentur: omnibus Collegialibus cum omni sollicitu
dine inuigilet, eosdemque ab ijs, quae nocere possint
domi, & foris defendat, cum praeueniendo, tum etiã,
si quid mali acciderit remedium adhibendo, ita ut in
virtutibus, & literis proficiant.

c In prob.
declar.

Par. 4. c. 10
§. 5. & p.
6. c. 1. §. 1.
& p. 10. §.
ulti.

21 Efficiat, ut sibi, uel alijs ab ipso deputatis sta-
tis temporibus ratio conscientiae reddatur à suis; &
aliquos praeterea maturiores Patres assignet, qui
eorum confessiones generales excipiant, nisi Pro-
uincialis tunc adsit.

In ex. c. 4.
§. 36. 38.
& 41. &
p. 6. ca. 1.
§. 2.

22 Meminerit, ut scholastici, & coadiutores
non formati, bis singulis annis circa festa uide-
licet Circumcisionis Domini nostri, & Apostolo-
rum Petri, & Pauli uota sua renouent, praemissis
ijs, quae fieri solent.

P. 4. c. 4.
§. 5. & p.
5. c. 4 §. 6.
& Cã. 39.
tr. congr.

23 Singulis, uel alternis diebus Veneris ex-
hortationem nostris uel ipse faciat, uel aliquis alius,
qui rationem nostri instituti bene teneat, in qua aga-
tur de obseruatione Constitutionum, & Regularum,
de fraterna caritate, humilitate, patientia, mortifi-
catione, & alijs uirtutibus, praesertim de obedientia,
tametsi exhortationis loco, spiritualis collatio eis-
dem de rebus aliquando haberi potest.

P. 3. ca. 1.
§. 28.

24 Crebro, & magna caritatis significatione al-
loquatur subditos, eorumque necessitatibus non cor-
poris tantum, sed multo etiam magis animae, pater-

no affectu, prospiciat. Si quem uero intelligat aliqua tentatione pulsari, praesertim graui, eius peculiarem curam, & sollicitudinem non solum per se, sed etiam, si necesse fuerit, per alios gerat, nec remedium longius differendo difficiliorem morbi curationem reddat.

Par. 3. c. 1.
S. 15. 25 In correctionibus & poenitentibus iniungendis rationem habebit dispositionis personarum, & edificationis vniuersalis, & particularis earum, ad gloriam Dei.

P. 3. c. 1.
lit. N. 26 Nisi prudentia rebus particulatibus adhibita aliter procedendum dictauerit, illud in correctionibus obseruet, ut ij, qui peccant, primo in caritate, & dulcedine admoneantur: secundo in caritate quidem sed eo tamen modo, ut eis confusio, & rubor iniiciatur: tertio amoris ea, quae timorem incutiant, si opus erit, adijciantur.

P. 3. c. 1.
lit. N. 27 De publicis defectibus publica debet esse poenitentia, ijs tantum, quae ad omnium edificationem faciunt, declaratis.

28 Poterit mittere interdum aliquem ex suis, ut ostiatim petat eleemosinam, aut vt inserviat hospitali, aut comitetur emptorem, aut in plateis concionetur, Christianamue doctrinam doceat, prout magis in Domino expedire uidebitur, habita ratione edificationis, & spiritualis utilitatis nostrorum.

In ex. c. 1.
lit. C. 29 Delegare poterit Confessario, uel alijs vices suas, ut eas poenitentias approbent, uel improbent
quas,

quas, ad maiorem sui spiritus profectum, assumere quisque uolet.

30 In danda facultate ieiunandi sicut & in alijs penitentijs concedendis, videat ne mensuram re-
 Etæ rationis excedat; detque operam, ut omnes in-
 telligant ad singularitatem non pertinere, si quis
 ieiunet alijs non ieiunantibus, dummodo ordinaria
 consuetudo ieiunandi, quæ iuxta constitutiones non
 sit, non introducatur.

I. cong. ii.
 6. Decreto
 17. & in
 ex. c. 1. §. 6.

31 Vnio, & conformitas mutua diligentissime
 curanda est, nec ferenda inter ullos domestico-
 rum perturbatio, uel ira mutua. si quid autem hu-
 iusmodi accideret, curet ut statim cum satisfactio-
 ne debita in gratiam inuicem redeant.

P. 3. ca. 1.
 §. 18.
 d Ibidem
 lit. P.

32 Tam ipse, quam omnes alijs Sacerdotes, qui ei
 videbuntur, iuxta constitutiones, aliquando intra
 annum, officium, uel officia eorum, qui domi in ser-
 uiunt ad tempus aliquod obibunt.

Par. 3. c. 1.
 §. 19.

33 Non permittat nostros, qui Sacerdotes non
 sunt frequentius, quam octauo quoque die commu-
 nicare, nisi particulares ob causas, habita magis ra-
 tione necessitatis, quam deuotionis: diebus tamen
 solemnibus in hac re dispensare poterit.

Par. 4. c. 4.
 lit. B.

34 Videat scripta, & literas omnes, que scribun-
 tur ad domesticos, & quas ipsi alijs scribunt, aut
 aliquem uirum fidelem, & qui donum discretio-
 nis habeat, domi constituat, qui eas lectas reddat,
 aut non reddat, prout in Domino magis expedi-

In ex. c. 4.
 §. 6. & p. 3
 c. 1. lit. B.

re iudicabit, sibi que referat, si quid inuenerit, quod tanti momenti sit, ut de eo Superior monendus videatur. res autem uanas, aut quæ alia ratione offendere possint, neminem scribere permittat: nec sigillum quemquam habere sinat sine Prouincialis facultate.

P. 3. c. 1 §. 14. & lit. M. 35 Non sint in Collegio arma, nec instrumenta musica, nec libri uani, aut lasciuia, nec noui quicquam in recreationibus introducat.

Deliterarum studijs. Cap. IIII.

Par. 4. c. 5 §. 2. & c. 13 §. 4. 36 Neminem ad inchoanda studia admittat, nec eos, qui ad illa ex Prouincialis commissione admissi fuerint, ad aliam facultatem promoueat, absque eiusdem Prouincialis approbatione, cui post maturam considerationem, & examen de unoquoque suo tempore, significabit, quid sentiat.

Par. 4. c. 6. §. 3. 37 Impedimenta remoueat, quæ à studijs animos scholasticorum auocant, qualia sunt nimia mortificationes, uel deuotiones, uel externæ occupationes.

Par. 4. c. 6. §. 15. 38 Intellegat per se, uel per alium, quo modo scholastici in suis studijs proficiant, quod si animaduerteret aliquem in ijs inutiliter tempus terere, ad Prouincialem referat.

P. 4. c. 13. §. 5. & p. 6. c. 2. lit. D. 39 Singulis hebdomadis dies vnus saltem à prandio scholasticis ad quietem destinatus sit, in quo eos ad hortum, aut prædium Collegij, uel aliud exercitij corporis uel recreandi anima gratia mittere poterit.

In

In reliquis autem studiorum intermissionibus sequatur ordinè à Generali, uel Prouinciali constitutum.

40 Et si praeceptorem publicum in scholis instituere non potest absque Prouincialis facultate, ad tempus tamen, necessitatis gratia, id facere poterit. Par. 4. c. 6
lit. F.

41 In actibus promouendorum ad gradus literarios (ad quos nostri sine facultate Generalis promoueri non possunt) si qua in re alicuius momenti dispensatione opus esset, Prouincialem admoneat. Par. 4. c. 6
§. 17. & c.
15. §. 4.

42 Constitutiones, siue Regule, quæ ad scholasticos Societatis pertinent, publicè in refectorio bis, aut ter singulis annis legantur. P. 4. c. 10.
lit. L. &
Can. 43.
et. congr.

43 Sub finem studiorum cuiusq; suarum esse partium Rector intelligat, auditis Consultoribus, Prouincialem de uniuscuiusq; talento admonere, & quantum singuli profecerint, referre: & num aliqui ad sacros ordines promouendi sint, & aut in Confessarios, aut Concionatores, aut Lectores eligendi proponere. par. 4. c. 9
§. 3.

e Ibidem:
c. 6. lit. C.
& c. 8. §. 2
f P. 7. ca. 4
§. 5.

De ordine domestico. Cap. V.

44 **Q**uotidie post orationem matutinam fiat sacrum, cui intersint omnes, qui sacerdotes non sunt; nisi aliquibus propter peculiare occupationes aliud tempus ad sacrum audiendum concessum sit.

45 Quando nostri ad sacram communionem accessuri sunt, presertim diebus Dominicis, curet, ut in Ecclesia (si commode fieri potest,) id faciant, se In ex. c. 4.
§. 25. &
par. 3. c. 1.
§. 11.

para-

parati tamen ab externis, quantum locus feret.

46 Tempore orationi, & reliquis exercitijs assignato sit aliquis, qui obseruet, num omnes ijs uacent, quod etiam Minister, & ipsemet Rector aliquando faciat.

Par. 3. c. 1. §. 16. & p. 4. c. 10. §. 7. 47 Syndicum secretum domi constituat, cuius officium erit obseruare in omnibus, quod ad honestatem, & decentiam externam pertinet, Ecclesiam, & domum in locis publicis perlustrando, & si quid, quod non conueniat, annotauerit Superiori referendo. §. Præ:er hunc alios particulares Syndicos in classibus singulis habeat, qui, quantum fieri poterit, ex prudentioribus, & maturioribus deligantur.

g Ibidem
c. 17. §. 7.

Par. 3. c. 2. §. 4. 48 Omnes, præter illos, quos ipse iudicauerit excipiendos, hore quadrantem ante prandium, uel cœnam corporis exercitationi tribuant.

49 A posteriore prandij signo ad cœnam, octo, ut minimum, hore intersunt: aliquid uerò amplius usque ad refectiunculam uespertinam diebus Veneris, & ieiuniorum, iuxta morem regionis; ^h a tempore autem, quo se nostri cubitum receperunt usque ad signum, quo excitantur, septem.

h P. 3. c. 2
lit. E.

Can. 14. tri. congr. 50 Benedictio, & gratiarum actio in refectorio iuxta usum Breuiarij Romani in prima mensa fiant: In secunda uerò, & priuata, retineri possunt antiqua benedictio, & gratiarum actio, quæ à singulis submissæ, & stando fieri debent.

Can. 92.
tr. congr.

51 In mensa Sacerdotes præcedant alios ad eum
gra-

R E C T O R I S. II

gradum non promotos ; sed nec inter Sacerdotes ,
nec inter eos , qui Sacerdotes non sunt , ullus ordo
constituatur .

52 Si aliqua de causa Rector primæ mensæ adesse
non poterit , curet , ut Minister adsit .

53 Dominicis diebus , & festis , si commodè fieri Par. 3. c. 1
potest , & alijs , etiam si Superiori uideatur , sint ali- §. 5. & 21.
qui pro multitudine Scholarium à Superiore delecti , & in ex. 6.
qui inter cœnandum pro lectione concionem ha- 4. §. 25
beant , sumpto ut plurimum vnius horæ spatio ad
se parandum .

54 A prandio , & à cœna hora una , diebus au- Par. 3. c. 2.
tem ueneris post refectiunculam uespertinam dimi- lit. D.
dia recreationi religiose impendatur , idque in uno lo-
co , si commodè fieri poterit , sed neque extra hu-
iusmodi horas labores nimium continuari , sine ali-
qua conuenienti relaxatione , smat .

55 Scholastici omnes , ubi aliqua fuerit eorum Par. 3. c. 1
copia , pro more Societatis (nisi quis eximendus §. 21.
videretur) diebus saltem dominicis ad finem re-
creationis post prandium in tonis , seu ratione con-
cionandi exerceantur , de ijs crebro tractantes , quæ
ad sui abnegationem , & in virtutibus profectum ,
& fraternam caritatem spectant .

De ijs , quæ pertinent ad res tem-
porales . Cap. VI.

56 Singulis mensibus à Procuratore rationem Par. 4. c. 2
acce-

§. 5. & p. 9. c. 3. §. 4. & lit. C. accepti, & expensi presente Ministro exigat, ut totius domus administrationis ratio ipsi constet, eamq; reddere possit cui, & quando per Superiorem constituetur. caueat autē, ne Collegiū alieno aere grauetur.

Par. 3. c. 2. §. 3. 57 In ijs, quæ ad victum, uestitum, & habitationem, & alia corpori necessaria pertinent, curet, ut quamuis sit, in quo probetur uirtus, & sui ipsius abnegatio, non desit tamen, quo sustentetur natura, habita conuenienti ratione personarum in Domino.

Par. 3. c. 2. lit. C. 58 Cum scholasticis in ijs, quæ ad uestitum attinent, magis quam cum ijs, qui probantur, ratio habeatur decentiæ exterioris, & commoditatis propter studiorum laborem, cum singulis tamen, prout cuique conuenit, procedetur.

59 Si cui particulari quidpiam ab externo aliquo mittatur, id in communem usum accipiatur, ac dispensetur.

In ex. c. 1. §. 4. & p. 4 c. 2. li. F. & p. 6. c. 2 §. 3. 60 Caueat, ne qua domus professorum, aut alius eorum, uel coadiutorum redditibus Collegij sui, præterquam in rebus minimis utatur, nisi is eisdem Collegio necessarius, aut conueniens sit, ut in eo commoretur.

Can. 71. tri. congr. 61 Lites forenses fugiat, nec ullam inconsulto Provinciali intētet, nec intentata respōdeat, nisi cogatur.

P. 3. c. 1. §. 7. & p. 9. & can. 15. & 16. tr. con. 62 Si bona alicuius ex nostris distribuenda essent, si ineundi contractus, si fabrica alicuius momenti, & expensæ extraordinariæ faciendæ, aut si bona offerantur Collegio cum aliqua obligatione,

rem

rem ad Prouincialem deferat.

63 Depositum pecunie nullum prorsus admit-
tat; aliarum uero rerum non nisi cautissime, dum-
modo sint eorum, quibus multum debeamus, aut
alioqui id officij, sine magna offensione, denegari
non possit.

64 Neminem ex nostris in causis ciuilibus, ne- Par. 6. c. 3.
dum criminalibus examinari (nisi, qui ad peccatum §. 8.
obligare potest, compelleret) permittat absque li-
centia, quam minime dabit, nisi in causis, quæ ad re-
ligionem Catholicam pertinent, aut alioqui piæ sint,
& ita mi faueant, ut non in alterius detrimentum
cedant.

De auxilio animarum, communicatione cum
externis, & gratitudine erga fundatores,
& benefactores. Cap. VII.

DEt operam, ut à nostris ministeria Societatis p. 4. c. 8. §.
iuxta Prouincialis præscriptum, & cuiusque 3. & p. 7.
talentum exerceantur non solum in nostra, sed etiam c. 4. §. 6. &
in alijs Ecclesijs, carceribus, & alijs locis, quantum 7.
commodè fieri poterit, i nominatimque ministerium i Can. 54.
doctrinæ Christianæ commendatum habeat. & 55. tri.
congr.

66 Curet, ut nostri in spiritualibus exercitijs tra- par. 4. c. 8.
dendis accuratè exerceantur, postquam ea in se fue- §. 5. & p. 7.
rint experti; nullus tamē deberet ea tradere, nisi pru- c. 4. §. 8.
dentia, ac rerum spiritualium usu satis probatus esset.

67 Non permittat, ut nostri curam mulierum-re- par. 6. c. 3.
ligiosarum §. 5.

ligiosarum, & aliarum quarumcunque suscipiant, ut ordinariè illarum confessiones audiant, uel ipsas regant: quamuis nihil repugnet aliquando apud eas concionari, aut semel vnius Monasterij confessiones speciales ob causas audire; quod tamen non fiet, nisi postulent ij, qui eis præsunt.

Par. 9. c. 6.
§. 1.

68 Et si proprium Rectoris officium est, Collegium sibi commissum diligenter, ac fideliter gubernare, neque is propter aliud quicquam huic muneri deesse debet, si quando tamen per officij sui occupationes licebit, & concionari, & confessiones audire, & alia Societatis Ministeria exercere poterit.

69 Mulieres inuisere, aut ad eas scribere, nisi in necessitate, aut cum spe magni fructus non sinat, neque hoc quidem permittat nisi uiris ualde probatis, & prudentibus.

Par. 3. c. 1
§. 17.
Par. 6. c. 2
§. 9.

70 Non permittat fœminas Collegium nostrum ingredi.

71 Curet ne primarios uiros inuisere nostri consuescant, nisi sancto studio piorum operum ducentur, uel quando intima beneuolentia in Domino coniuncti essent.

Par. 6. c. 2
§. 9.

72 Non sinat offerri minuscula, que magnatibus ad res maiores obtinendas offerri solent.

73 Non permittat, ut nostri cibum capiant apud externos, aut ab eis, cum ægotant, uisitentur, nisi causa non leuis momenti ad id concedendum moueret quam eandem esse oportebit, si quando exter-

nus

nus aliquis ad mensam præsentim reſectorij, inuitandus uideretur.

74 Amicos conſeruare, & eos, qui malè erga nos affecti ſunt, præcipue ſi homines ſint non vulgaris auctoritatis, orationibus, & rationibus conuenientibus in amicitiam renocare, uel ſaltem ne aduerſarij ſint, efficere ſtudeat. Par. 4. c. 10
lit. C & p.
10. lit. B

75 Obſeruet, quæ erga fundatores, & benefactores, tam uiuos, quam mortuos obſeruanda ſunt, eiſque gratitudinem exhibeat, & alijs obligationibus ſi quas Collegium habet, ſatisfieri curet. Par. 4. c. 5

De iis, qui admitti petunt, ad Collegium diuertunt, aut foras mittuntur. Cap. VIII.

76 **I**N ſocietatem neminem admittat, niſi à Generali, uel Prouinciali id ipſi committatur, ^k ſed de ijs, qui admitti petunt, ad Prouincialem referat, uel ſcribat, quales illi ſint, & quibus donis Dei præditi. K P. I c. 1
S. 2.

77 Si iis, qui admitti petit, ad inſtitutum Societatis ualde idoneus uidebitur, & neceſſitas urgeret, poterit eum tanquam hoſpitem domi recipere, donec reſpoſum à Prouinciali accipiat, uel eum ad eundem mittere, ſi expedire iudicauerit. Par. 1. c. 1.
lit. A

78 Recedentem ſine licentia ab alio loco Societatis, uel ab ea dimiſſum non admittat, ſed ſi expedire uideretur ad Prouincialem de eo ſcribat, & eius ordinationem exſpectet, illo domi, ut hoſpitem, uel P. 2. c. 4. S.
1. lit. A

uel in alio pio loco, si uidebitur, detento.

79 Caritatem magnam exhibeat erga alios de societate per Collegium transeuntes, eosq; amanter hospitio excipiat, ¹ ac meminerit se aliquo uiatiko, aut elemosina eos, si indigerent, iuuare posse: curet item diligenter dirigere, ac iuuare expeditiones hospitum, qui negotiorum causa domi uersantur.

i P. 4. c. 2.
lit. F. & p.
6. c. 2. li. D

80 Externi ne accipiantur hospitio, ut domi pernotent, nisi ij sint, quibus multum debeat, aut id officij sine magna offensione pratermitti non possit: qua in re habeatur precipua ratio religiosorum, cum necessitatis causa ad nos diuertunt.

Par. 3. c. 1
S. 3.

81 Cum quis domo egredietur det ei socium conuenientem: si quando autem aliquis solus foras mittitur, is sit, cui merito possit confidere.

Par. 7. c. 2
lit. M

82 Neminem ex suo Collegio in alium locum mittat sine literis patentibus.

Par. 3. c. 2
lit. G

83 Si quis experimento comperiretur ferre non posse Collegij cælum, & male habere continenter cerneretur, uel alia ratione uideretur mutandus, Prouincialem admoneat, an aliò mitti debeat.

84 Profecturi ad alia loca, ea, quam sottanam uocant, & alijs interioribus indumentis quibus utuntur, priuari, non debent, nisi forte ratio temporis, aut alioqui caritas suaderet, melioribus esse commutanda: pallium quoque eis relinquatur, ubi eo non sibi pro penulanti in itinere consueuerunt: ubi autem penula utentur, pallium non deferant: nec quicquam secum asportent sine facultate Superioris.

t
n
er
,
am
bus
apo
com
o no
item
quam

1650


REGVLAE
MINISTRORVM

Inv. 11359



REGVLAE
MINISTRI. ET
SVBMINISTRI,

Procuratoris Generalis, & Procura-
toris Domus, & Collegij.



VENETIIS, M D LXXX.

Cum facultate superiorum.

Fondo librario antico dei Gesuiti italiani
www.fondolibrarioantico.it



Cinquecentina

n. 391

18

Fondo librario antico dei Gesuiti italiani
www.fondolibrarioantico.it

